

**F. F.
VIRUM
Præximum, Clarissimum atque
Doctissimum
DOMINUM
CHRISTIANUM
FRITZSCHIUM,
Gymnasii Freibergensis
CORRECTORUM
Meritorum laude dignissimum,
III. Non. April. MDC XCIV.
auspicatissimo sidere revoluta
ONOMASTERIA
celebrantem
Justis prosequitur gratulationibus
COLLEGARUM PAR
cum
Superiorum Classium discipulis.

 FREIBERGÆ, TYPIS BECKERIANIS.**

Ad
Dn. COLLEGAM & COMPATREM
Conjunctissimum Honoratissimumque.



*Ebdomada in charam † Tua Lux O-
nomastica nobis
Festa redit. Redeat charior usque
Tibi!*

*Sis charus nobis, sis charior, opto, Patronis:
Per charus nostræ vive vigeqve Scholæ!*

Charitatis absq; purpurissocr.

M. Tobias Liebe/ Gymn. Patr. Reet.

† Allusio ad nomen magnæ hebdomadis, quæ in vernacula nostra audit die Cartwo-
ghy secundum Burchardum, Episc. VVormatiens, apud D. Chemn. Exam. Conc.
Trident. P. IV. p. m. 115. à Carenz. i. e. mulcta pœnitentiali, quando in foro reus
mulctam à judice impositam, ut læso pro insurta vel damno satisfiat, persolvit,
quod Germani dicunt, Abtrag Kart und Wandelthun. Sed juxta alios re-
ctius à charitate sic dicta, quod ea ipsa hebdomade Christus animam suam pro
nobis ponendo, summam speccatam dedit charitatem, de qua D. Paulus Rom.
V. 8. & D. Johannes I. Epist. III. 16.


Ceile, Fritzchi, candidorum Amicorum,
Collegii Decus Scholastici nostri;
Qui Palladis divæ reconditas artes
Mentis cupiditate fervida hausisti;
Non ut tuam solum expleas voluptatem;
Inservias sed ritè proximi rebus,
Certissimo dispendio licet vitæ.
Candela ceu mortaliū unice rebus
Inserviendo absumta deficit tandem.
Ignosce Choliambō inertī & incomto,
Verenda sacra gaudii penetranti.
Est namqve mundus claudicantium plenus.
Non claudicant soli Baalis asseclæ,
Sed nomen &, qui vendicant sibi Christi
Plerique (dictu turpe) claudicant. Simplex
Candor, fidesqve hoc prisca claudicant ævo,
Status per omnes, ordines & ætates.
Quid inde claudicante seculo mirum,
Ipsi Poëtæ claudicare qvòd discant.
Scis optimè proverbium vetus: cludo
Vicus ipse claudicare condiscit.
Sed longius me claudicatio abducit.

Non

Non, crede, claudicabit unquam amor, qvo Te
 Complexus usque sum, tuumqve candorem.
 Hoc imperante compreco Tibi affectu,
 Ex intimis mei recessibus cordis,
 Ut mille Nominalis afferat secum
 Beatitates mille gaudiis mixtas.
 Faveat Deus, faxitqve ne Virorum unquam
 In Te favorem claudicare summorum
 Gratamqve pro labore sentias mentem !
 Sed siste tandem debilem gradum Scazon.

Israël Beher/ Tertius.

Jam decessit hyems insigni frigore torpens
 Et pereunt lapsæ Sole tepente nives.
Vunc tepet à Zephyris iterum generabilis aér
 Blandaqve purpurei tempora Veris eunt,
 Omnia nunc florent, nunc est nova temporis ætas,
 Et nova de gravo palmitæ gemma tumet,
 Alma parens læto vestit se cespite tellus,
 Arbor & umbrosas induit alta comas.
Nunc solamen avis nemorum sub fronde latenter,
 Ungvibus ac docili construit ore larem,
Qvæ fuit hyberno sub sidere muta volucris,
 Nunc meditatur agens guttura dulce melos.
 Auditur volucris dulcis qvoqve carmine pulchro,
 Qvæ de laude sua nomen alauda gerit.
Nec non ipsa redit prænuncia Veris hirundo,
 Qvo procul hybernis imbribus orbe volat.
Concinit & lætum per tecta domestica carmen,
 Et luteum celsa sub trabe fingit opus.
Jamqve redit volucris longis exosa colubris;
 Florida jam viridi gramine prata nitent.
Herbarum incipiunt paulatim crescere formæ,
 Atqve renata velut tota virescit humus.
Nunc herbæ rupta tellure cacumina tollunt,
 Nunc tumido gemmas cortice palmes agit.
Agricolæ gaudent iterum proscindere rura,
 Sulco jactantes pingue per illa simum.
Nec cessant rastris glebas confringere inertes,
 Incultæ ut possint credere semen humo.
Jam violas pueriqve legunt hilaresqve puellæ,
 Ruraqve qvæ nullo nata ferente vehunt.

Qvoqve

Qvoqve loco est vitis de palmite gemma movetur,
 Nam procul à Getico littore vitis abest.
 Omnia lætantur tellus & pontus & æther,
 Cur non ducamus gaudia nos animo?
 Præsertim qvoniam redeunt Onomastica festa,
 Qvæ Con-Rectori gaudia mille gerunt.
 Quem docuit multaqve insignem reddidit arte,
 Diva cerebroso vertice Nata Jovis.
 Qvi Grajæ & Latiæ reseravit mystica linguaæ,
 Et doctum doctus dictat Aperta melos.
 Aurato curru qvem differt fama celebris
 Per mare, per terram, per tabulata poli:
 Lycei Illustris dextre qvod potat ephebos
 Ambrosiâ Grajûm, Nectare Romulidum.
 Ite igitur curæ, vegrandes ite dolores,
 In mare Carpathium vos levís aura ferat.
 Esto procul qvisqvis luctus, vel qvicvid amari
 Perturbans animum, protinus esto procul.
 Nam Præceptor Sol hic sacratur: adesto
 Cum nato princeps deliciosa Paphus.
 Bacche Chio præbe collectum palmie vinum,
 Cumqve tuis donis svavis adesto Ceres.
 Et Pæan humero sacrum suspende comanti
 Cynthiæ ebur, docto pollice plectra movens.
 Et vos tres Charites hilares svavesqve venite,
 Dulcia mellifluis dicite verba sonis.
 Amœno Musæ ex Helicone migrate canoræ,
 Entheo Apollinetum promite corde melos.
 Huc qvoqve consortes Studiorum pergitæ mecum,
 Hasce pias calido fundite corde preces:
 Vivas Præceptor, servet Te Summus IOVA,
 Teqve, tuamqve domum prosperet ipsa Salus.
 Te nunquam immiti feriat fortuna flagello,
 Omnia sed votis obseqviosa fluant.
 Parcæ adamanteo producant stamina filo,
 Ut possis Pylii vivere fata senis.
 Longius ut possis profiteri Palladis artes,
 Et monstrare animis dogmata multa piis.
 Denique cùm nigris mors pallens advolat alis,
 Mortiferaqve turit Persephonea face,
 Summas empyrii concordens ætheris arces
 Cœli inter proceres gaudia mille cape.

Sic nomine Commilitonum precatur

D. A. Müller/ G. M.



255

458.

F. F.
VIRU
*Præximum, Clari
Doctissim*
DOMIN
CHRISTI
FRITZSC
 Gymnasii Fre
CONRECT
 Meritorum laude
*III. Non. April. M
auspicatissimo side*
ONOMAST
 celebrant
 Justis proseqvitur
COLLEGAR
 cum
Superiorum Class
FRIEBERGÆ, TYPIS



254.